



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 33. Papa Cardinalibus displicet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Ludovicus, secundus Caroli Regis filius, & Arragonum Regis captivus, unum & viginti annos habens, necdum tonsura initiatus erat; sed solummodo significabat se cupere amplecti statum ecclesiasticum. Papa tamen archiepiscopatum Lugdunensem, quem Beraldus Degotus sacra purpura & Albanensi infula ornatus vacuum reliquerat, illi Principi juveni non contulit modo, sed & administrandum in rebus tam sacris quam profanis commisit. Diploma datum est Sulmone 9 Oct. sed effectum caruit: ac sedes Lugdunensis non desit vacare nisi post biennium.

III. l. 1. 1.  
Sæcul. XIII.  
A. C. 1294.

Gall. Chr.  
to. I. p. 326.

§. XXXIII.

*Papa Cardinalibus displicet.*

Ita Coelestinum, tametsi purissima mente ageret omnia, simplicitas, in qua vitam duxerat, penuria experientiæ, infirmitas ætatis, ministrorum, aliorumque, quibus confidebat, fraudes in multos errores inducebant, adeo, ut interdum eadem gratiæ tribus vel quatuor hominibus concessæ, chartæ puræ sigillo munitæ, beneficia, antequam vacarent, collata invenirentur. Multa etiam beneficia immo episcopatus largiebatur in absentia Cardinalium, aut præsentibus non consulens. Denique exacer-

Boll. p. 427.  
440. n. 1. 457.  
Rayn. n. 18.



Sæcul. XIII.  
A.C. 1294.

Rayn. app.  
to. 15.

acerbavit summopere Cardinales renouando decretum de conclavi viginti ab hinc annos a Gregorio X editum, sed executioni non datum. Tres hac de materia sanctiones fecit Coelestinus. Per primam sustulit suspensionem executionis a suis antecessoribus imperatae. Per alteram absoluit Regem Carolum a iuramento, quod Cardinales eum voluerant addere promisso se nullis includendi aedibus, nec detinendi in regno ipsius, si Coelestinus ibi vitam poneret. Per tertiam iussit observari decretum de conclavi, seu moreretur Papa, seu munus abdicaret suum. Scripta fuit 9 Decembris, postquam exuere pontificatum iam statuerat. Et vero de hac agendi ratione conuesti Cardinales quidam, cum Ecclesiam & urbem Romam tali sub regimine in periculo esse cernerent, Papæ Neapolim adeunti insinuant necessitatem deponendi muneris, quod salvis æqui rectique legibus retinere haud posset.

§. XXXIV.

*Papa missam facit dignitatem suam.*

Instante dominici adventus tempore Coelestinus parvulo conclavi, quod in palatio sibi faciendum curaverat, pro more